

ADVLPHVS REX SVEONVM.



ADulphus filius fuit Gothori regis Sueonum. hic ob optimi patris merita, & proprię uirtutis indolem concordibus procerum suffragiis rex salutatur, anno mūdi 3780. Is adeo omnium animos beneficiis deuinxit, ut nec domi nec foris ab aliquo hoste impeteretur, sed ob præstantissimas uirtutes plurimum ab omnibus amaretur, idę per multos annos, donec Dan rex Danorum patrem Frothonem à Gotharo interfectum recordatus, paternam necem armis uindicare statuisset. Acciuerat etiam Saxones & Vandalos contra Sueones in auxilium. Itaq; Adulphus exercitu apud suos conscripto magno animo hostibus obuiam profectus est: